



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

Sessio XXXVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

cta sancta Synodus providebit, vt melius expedire videbitur. Per præmissa autem sancta Synodus capitulis Narbonensibus non intendit in aliquo contrauenire. Quo decreto lecto, dominus præsidens nomine Synodi respondit per verbum, Placet.

ANNO
CHRISTI
1417.

Super quibus omnibus & singulis præmissis, & eorum quolibet, magister Henricus de Piro promotor & procurator nomine quo supra, & venerabilis vir dominus Ioannes de Rupeflore procuratorio nomine domini Ioannis regis Castellæ & Legionis illustris prædicti, sibi a protonotariis, notariis atque scribis ipsius sanctæ Synodi, ad futuram rei memoriam, vnum vel plura, & tot quot fuissent necessaria fieri petierunt, & quilibet eorum petiit publicum seu publica instrumenta. Præsentibus ibidem reuerendissimis in Christo patribus & dominis, dominis Ioanne Ostiensi, Laudensi, Hispano, de Vrfinis, Bononiensi, Venetiæ, Senensi, Pisano, Veronensi, Cameracensi, Tricaricensi, Placentino, de Fuxo, de Chalanco, Salutiarum, de Flisco, de Branckafis, de Columna, & de Comitibus, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, ac illustri principe domino Friderico marchione Brandeburgensi, nec non regum, principum, prælatorum, nobilium, communitatum, vniuersitatum studiorum & collegiorum ambasiatoribus, aliisque Christi fidelibus in multitudine copiosa.

SESSIO XXXVII.

DIE vigesima sexta supradicti mensis Iulii, Constantiæ in ecclesia maiori loco solito fuit publica sessio solenniter celebrata, pro cuius introductione reuerendissimus pater dominus Guillermus tituli sancti Marci sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis presbyter Missam de Spiritu sancto deuotissime celebravit. Sessioni autem interfuit serenissimus princeps dominus Sigismundus Romanorum & Hungariæ, &c. rex, cum insigniis regalibus & suis nobilibus in eisdem sibi seruientibus. Præsidebatque sessioni huiusmodi pontificalibus insignitus reuerendissimus pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis & vicecancellarius. Lectis deinde litanis, aliisque orationibus consuetis, sermoneque, cuius thema erat, *Justum iudicium indicate*, per

ANNO
CHRISTI
1417.

* ferri
curantis:

reuerendum patrem dominum electum in patriarcham Constantinopolitanum finito, contumacia fuit accusata Petri de Luna non comparentis, neque diffinitiuam sententiam * audientis. & inde fiebat ratio executionis citationis in vltima sessione decretæ per dominum Henricum Feltrensem episcopum, vnum de commissariis deputatis pro executione citationis huiusmodi. Facta autem relatione, ac iterum contumacia ipsius dicti Petri de Luna accusata, reuerendissimi patres domini de Comitibus & de Fuxo cardinales, per sanctam Synodum ad hoc specialiter deputati, de eiusdem Synodi mandato vna cum protonotariis, & præsentis causæ notariis, & Ioanne Snepper sedis apostolicæ cursore, locum sessionis exeuntes, accesserunt ad valuas ecclesiæ, & ibidem per organum cursoris prædicti præfatum Petrum de Luna trina vice vocarunt, dicendo: Est hic Petrus de Luna, ab aliquibus Benedictus decimustertius nuncupatus, vel aliquis pro eo, qui compareat coram sancta Synodo ad audiendum in scriptis ferri sententiam definitiuam in causa schismatis & hæresis contra eum mota? Ipse autem nec aliquis pro eo comparuit ibidem, aut respondit: de quo fecerunt relationem. Facta autem relatione huiusmodi, iterato accusabatur contumacia ipsius Petri de Luna per magistrum Henricum promotorem Concilii, instantissime postulando, ipsum reputari contumacem. Et nunc dominus Stephanus episcopus Dolensis quoddam decretum, siue quamdam schedulam legit in hæc verba.

Hæc sacrosancta Synodus Petrum de Luna, Benedictum decimumtertium a nonnullis nuncupatum, legitime citatum, vocatum, non comparentem, declarat & reputat contumacem, decernitque in eius absentia Dei repleta præsentia, fore in præsentia causa inquisitionis contra eum coram eadem pendente, per eandem Synodum ad definitiuam sententiam procedendum.

Ista schedula sic lecta, reuerendissimus pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis huiusmodi sessionis præsidens, nomine ipsius Synodi per verbum, Placet, respondit. Et extunc reuerendissimus pater dominus Guillermus tituli sancti Marci presbyter cardinalis quamdam definitiuæ sententiæ schedulam legit huiusmodi sub tenore.

*Sententia contra Benedictum papam decimumtertium in sua obedientia nuncupatum.*ANNO
CHRISTI
1447.*Psal. 16.**Apo. 21.**Ibidem 19.**Leuit. 19.**Psal. 10.**Ibid. 33.**Psal. 103.**Matth. 18.**Luc. 17.**Matth. 18.*

De vultu eius hoc iudicium prodeat, qui sedet in throno, & ex eius ore procedit gladius bis acutus, cuius statera iusta est, & æqua sunt pondera, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, Domini nostri Iesu Christi. Amen. *Iustus est Dominus, & iustitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius. Vultus quidem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum. Pereat, inquit sanctus Propheta, memoria illius, qui non est recordatus facere misericordiam, & qui persecutus est hominem inopem & mendicum:* quanto magis peccat illius, qui omnes homines & ecclesiam vniuersalem persecutus est & perturbauit, Petri de Luna, Benedicti decimitertii a nonnullis nuncupati, memoria? Qui quantum in ecclesiam Dei & vniuersum populum Christianum peccauerit, schisma & diuisionem ecclesie fouens, nutriens atque continuans: quantis, quamque frequentibus, deuotis & humilibus regum, principum & praelatorum precibus, exhortationibus & requisitionibus caritatiue iuxta doctrinam euangelicam admonitus fuerit, ut pacem daret ecclesie, & illius sanaret vulnera, ac eius partes diuisas in vnam compaginem & corpus vnum reficeret, quemadmodum ipse iurauerat, & diu fuit in sua potestate; quos tamen caritatiue corripientes nullatenus voluit exaudire: quot sint postmodum testes adhibiti, quibus etiam minime exauditis, necesse fuit secundum prædictam Christi euangelicam doctrinam dicere ecclesie: quam quia etiam non audiuit, habendus sit tamquam ethnicus & publicanus: capitula in causa inquisitionis fidei & schismatis coram præfenti sancta Synodo generali super præmissis & aliis contra eum edita, ac eorum veritas & notorietas, declarant manifeste. Super quibus rite ac canonice processu, & omnibus rite actis & diligenter inspectis, habitaque super illis deliberatione matura, eadem sancta Synodus generalis vniuersalem ecclesiam repræsentans, in dicta inquisitionis causa pro tribunali sedens, pronuntiat, decernit & declarat per hanc definitiuam sententiam in his scriptis, eundem Petrum de Luna, Benedictum decimumtertium (vt præmittitur) nuncupatum, fuisse & esse periurum, vniuer-

ANNO
CHRISTI
1417.

falis ecclesie scandalizorem, fautorem & nutritorem in-
 ueterati schismatis & inueteratae scissurae & diuisionis ec-
 clesie sanctae Dei, pacis & vnionis eiusdem ecclesie impe-
 ditorem & turbatorem, schismaticum & haeticum, ac a
 fide deuium, & articuli fidei, Vnam sanctam catholicam
 ecclesiam, violatorem pertinacem, cum scandalo ecclesie
 Dei incorrigibilem, notorium & manifestum, ac omni ti-
 tulo, gradu, honore & dignitate se reddidisse indignum, a
 Deo eiectum & praecisum, & omni iure eidem in papatu,
 & Romano pontifici, ac Romanae ecclesie quomodolibet
 competente, ipso iure priuarum, & ab ecclesia catho-
 lica tamquam membrum aridum praecisum. Ipsumque
 Petrum, quatenus de facto papatum secundum se tenet,
 eadem sancta Synodus papatu & summo ecclesie Roma-
 nae pontificio, omnique titulo, gradu, honore, dignitate,
 beneficiis & officiis quibuscumque ad omnem cautelam
 priuat, deponit & abiicit, eidemque inhibet, ne deinceps
 pro papa aut Romano & summo pontifice se gerat. Om-
 nesque Christicolae ab eius obedientia & omni debito
 obedientiae ipsius atque iuramentis & obligationibus ei-
 dem quomodolibet praestitis absoluit, & absolutos esse
 declarat, ac omnibus & singulis Christi fidelibus inhibet
 sub poena fautoriae schismatis & haesis atque priuationis
 omnium beneficiorum, dignitatum & honorum ecclesia-
 sticorum & mundanorum, & aliis poenis iuris, etiam si e-
 piscopalis & patriarchalis, cardinalatus, regalis sit digni-
 tatis, aut imperialis; quibus, si contra hanc inhibitionem fe-
 cerint, sint auctoritate huius decreti ac sententiae ipso fa-
 cto priuati, & alias iuris incurrant poenas, ne eidem Petro
 de Luna schismatico & haetico incorrigibili, notorio de-
 clarato & deposito, tamquam papae obediant, pareant,
 vel intendant, aut eum quouis modo contra praemissa susti-
 neant, vel receptent, sibi que praestent auxilium, consi-
 lium vel fauorem. Declarat insuper & decernit omnes &
 singulas inhibitiones, omnesque processus & sententias,
 constitutiones & censuras, & alia quaecumque, per ipsum
 factos, factas & facta, quae possent praemissis obuiare, irri-
 tos, irritas, irrita, atque irritat, reuocat & annullat: cete-
 risque poenis, quas in praemissis casibus iura statuunt, sem-
 per saluis.

Hac schedula siue sententia lecta, prædictus Stephanus episcopus Dolensis ex parte ipsius Synodi dixit in effectu: Quamuis in processu causæ huiusmodi nullus posset defectus allegari, tamen sancta Synodus prædicta ad superabundantem cautelam omnes supplet defectus, si qui interuenissent. Ad quæ omnia & singula dominus præfidens nomine totius Concilii respondit, Placet.

ANNO
CHRISTI
1417.

SESSIO XXXVIII.

DIE Mercurii vigesima octava supradicti mensis Iulii, Constantiæ in ecclesia maiori fuit sessio publica solenniter celebrata. Et reuerendus pater dominus Nicolaus Assisinatensis Missam de beata virgine Maria celebravit: reuerendus vero pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis & vicecancellarius, huiusmodi sessioni præfedit. Et litiis & aliis orationibus & solennitatibus solitis lectis atque peractis, venerabilis vir dominus Petrus de Lomburga legit quædam decreta tenoris subsequentiis.

*Decretum irritans pœnas latis contra ambasiatores
infantis Henrici.*

Sup. sess. 36.

Sacro sancta generalis Synodus Constantiensis in Spiritu sancto legitime congregata, ex certis & iustissimis causis eandem sanctam Synodum mouentibus, nuper omnes processus tam super proprietate, quam possessione, priuationes etiam beneficiorum quæ possidebant, & collationes alias de eisdem factas, aut excommunicationis, vel suspensionis, vel quascumque alias sententias, in, seu contra venerabiles fratres & dilectos ecclesiæ filios ambasiatores & procuratores carissimi ecclesiæ filii Ioannis regis Castellæ, consanguineos & familiares eorum, a die primo mensis Aprilis anni Domini millesimi quadringentesimi decimifexti citra factas aut promulgatas, irritauit & cassauit, irritaque & cassa denuntiavit: statuitque & decreuit ambasiatores prædictos, consanguineos, vel familiares ipsorum, perinde ad statum pristinum reducendos, ac si priuationes, collationes, processus & aliæ sententiæ prædictæ latæ aut promulgatæ minime fuissent, etiam si super processibus, prouisionibus, ac collationibus & sententiis prædictis